QUAESTIONES THEOCRITEAE.

PARTICULA I.

SCRIPSIT

FRIDERICUS MERTENS.

Wissenschaftliche Abhandlung

für

das Osterprogramm

des

Städtischen Progymnasiums zu Lötzen

1887.

Druck von Ed. Ahl's Buch- und Steindruckerei in Rastenburg.

1887. Progr. No. 12.

I.

Theocriti idyllium septimum, quod D. Heinsius[1]) certe quodam jure omnium eclogarum reginam vocat, interpretibus permagnas affert difficultates, quum si de regione, ubi res agantur, et de tempore, quo carmen a poeta conscriptum sit, tum si quaeritur de viris, quorum mentio fit in eo idyllio. Res in Co insula agi hodie inter omnes constat, quamquam Heinsius[2]) et Manso[3]) Siciliae regionem depingi statuerunt, G. Hermannus[4]) scaenam idyllii prope Veliam, urbem Lucaniae, collocat. De tempore, quo carmen conscriptum sit, magis dissentiunt inter se viri docti: Wuestemannus[5]), cui Theocritus non ita multo post annum 284 Alexandriam videtur se contulisse, ante illud certe tempus idyllium nostrum eum composuisse contendit, Haulerus[6]) circa annum 262 ortum esse carmen statuit ejusque sententiam, ut alios omittam, Fritzschius[7]) et Eberzius[8]) secuti sunt. Qui omnes propterea potissimum in errores irruerunt, quod sibi persuaserant eodem fere tempore, quo res in idyllio septimo descriptae agerentur, id carmen a Theocrito esse conscriptum. Contra eos Hempelius[9]) recte monuisse mihi videtur verbis initio idyllii exstantibus *ἦς χρόνος ἁνίκ' ἐγώ* satis aperte demonstrari, inter eum diem, quem carmine celebraret poeta, et eum, quo carmen composuisset, intervallum intercessisse satis magnum. Quam sententiam extremis quoque carminis verbis[10])

ἆς ἐπὶ σωρῷ
αὖτις ἐγὼ πάξαιμι μέγα πτύον· ἁ δὲ γελάσσαι
δράγματα καὶ μάκωνας ἐν ἀμφοτέραισιν ἔχοισα,

quibus poeta senex resuscitet memoriam diei illius hilarissimi, comprobari haud injuria Hempelius putat.

Poetam aetate jam provectiorem, non juvenem, ut Fritzschius vult, carmen nostrum in lucem edidisse facile vel inde colligi potest, quod in ipso carmine (vv. 37 et 93) verbis tam magni-

---

1) Lectt. Theocrit. p. 335.
2) L. l. p 335 sqq.
3) Frolegg. Bion. et. Mosch, p. XLVI.
4) Opusc. V p. 79.
5) Theocriti rell., Gothae et Erford. 1830, p. 109.
6) De Theocriti vita et scriptis, diss. Friburg. Brisg. 1855, p 69.
7) Ed. maj. p. 197.
8) Cf. Fritzschii ed. maj. arg. id. VII.
9) Quaestt. Theocrit., diss. Kil. 1881. p. 56.
10) vv. 155 sqq.

ficis gloriam suam carminibus partam effert. Altero enim loco ab omnibus *ἀοιδὸν ἄριστον* se appellari dicit, altero in eo gloriatur, quod permulta carmina a se composita etiam Jovis ad thronum pervenerint. Tum etiam res carminis satis demonstrare mihi videntur, poetam aetate jam processisse, cum carmen conscriberet. Fingit enim certamen poeticum, e quo ipsum superiorem se excedentem inducit, quod mea quidem sententia poeta non fecisset, nisi ipse adsersarium suum annis multo superavisset. Qui totum carmen juvenilem quandam hilaritatem spirare et floridam juventutem sapere recte cognovit, caveat, ne eam ob causam a poeta admodum adolescente conscriptum esse arbitretur. Quid enim credere vetat Theocritum, utpote qui verus esset poeta, eas virtutes, quas in omnibus ejus carminibus perspicere licet, animi dico hilaritatem atque tranquillitatem, ad extremam usque servavisse senectutem? Arte quidem perfecta, qua idyllium nostrum compositum esse nemo negabit, ea potius sententia defendi videtur, qua carmen a poeta aetate provectiore pactum esse statuitur.

Haud alienum esse mihi videtur, quo ordine carmina Throcritea conscripta esse sentiam, hoc loco paucis exponere. Summa autem cum veritatis specie contendere posse mihi videor juvenili jam poetae aetate orta esse carmina epica[1]) (XXII, XXIV, XXV), in quibus, quamquam epica exhibent argumenta, tamen ejus generis poeseos, quo postea praeter ceteros noster floruit, vestigia quidem insunt haud tenuia. Quem enim carmina ea legentem fugerit Theocritum epicis rebus bucolicas et mimicas propria sua indole inductum tanquam inscium haud raro miscuisse? Qui autem ea carmina quamquam Theocriti ingenio haud indigna arte et pulchritudine ea, quae mimicas vel bucolicas contineant res, nullo modo aequare infitias eat, vix quemquam esse puto. Tum memineris volo Graecos jam prima juventute Homeri carmina prorsus in se recipere et quasi imbibere solitos esse: quo factum est, ut quo majore quis studio et ipse poetica indole praeditus carmina ejus complexus erat, eo pronior esset ad eum imitandum. Theocriti quidem in carminibus, quantum studium ad Homeri carmina contulerit, quanta admiratione ejus imbutus fuerit, ubique luculentissime apparet.[2]) Maxime autem e verbis Theocriti in idyllio septimo inde a v. 45 exstantibus colligi posse mihi videtur non nisi prima juventute eum epicae poesi operam dedisse. Haec sunt poetae verba:

ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται ὅστις ἐρευνῇ
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον εὐρυμέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

Quibus aequalem quendam, qui epicae poesi operam navans Homerum se aequaturum esse speret, notari atque vellicari facile est intellectu. Quod certe Theocritus facere non potuit, nisi inter eam aetatem, qua ipse epicae poesi studebat, et eam, qua eos versus condidit, intervallum jam intercessisset vel maximum. Animadvertendum est, de quo supra jam egimus, iisdem versibus, cum

---

1) Knapp, Theokrit und die Idyllendichtung, progr. Ulm 1882, p. 4 sqq. — Brinker, De Theocriti vita carminibusque subditiciis, diss. Rostoch. 1884, p. 13.

2) Stanger, Homer im Theokrit, in „Blätter für das bayer. Gymnasialschulwesen“ III, 1876, p. 201 sqq. — Futh, De Theocriti studiis Homericis, diss. Hal. 1876. — Rannow, Studia Theocritea, diss. Berol. 1886, p. 21. De re metrica cf. Kruegermann, Quaestt. Theocrit., diss. Vratislav. 1875, p. 1 sqq.

certe post carmina epica temporis intermisso spatio quam longissimo exstiterint, dilucide demonstrari idyllium septimum superiore aetate a poeta esse conscriptum.

In eodem autem carmine Theocritus contra eos, qui Homerum imitantes epicis poematis gloriam sibi parere conantur, vel maxime eos laudat, qui bucolicam attingunt poesin. Dicit enim v. 36:

βουκολιασδώμεσθα· τάχ᾽ ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ.

Quem versum universe intelligendum quasi thema vel titulum verborum subsequentium esse infra pluribus jamjam ostendam. Sequitur igitur ex eo versu, ut Theocritus etiam superiore aetate operae pretium esse putaverit bucolica condere carmina. Unde recte concludere mihi videor poetam nostrum etiam seniorem pastoralem excoluisse poesin et ea quoque carmina bucolica, quae ad nostrum aevum manserunt, cum aetate jam longius esset provectus, conscripsisse. Quam sententiam meam alia quoque argumenta, quae nunc proferre audeo, adjuvant et confirmant. Notum est Theocritum Epicharmi, qui quamquam in Co insula natus maximam tamen vitae partem Syracusis degit, et imprimis Sophronis, qui in eadem atque ipse civitate natus erat, exemplo incitatum res ex inferioris plebis vita depromptas carminibus exprimere coepisse eosque imitatum esse poetas, cujus rei testimonia quum alia permulta tum scholiastarum habemus adnotationes fide dignissimas.[1]) Neque vero quemquam dubitaturum esse puto, quin quo longius aetate procederet, eo magis Theocritus ab exemplarium suorum imitatione recesserit et paulatim transierit ad proprium id carminum genus excolendum, quo maxime postea inclaruit. Ex quo efficitur, ut statuamus primum poetam conscripsisse idyllium II et XV, quae prorsus in Sophronis imitationem composita esse scholiastae produnt, et alia ejus modi carmina res mere mimicas, quae dicuntur, exhibentia, tum demum temporum decursu decessisse ad poesin pastoralem excolendam et carmina scribenda mere bucolica, cujus generis poeseos inventor et idem perfector semper noster habitus est. Tum res quoque metrica aliquid momenti habere mihi videtur ad rem, de quo agitur, dijudicandam. Inveniuntur enim in carminibus mere bucolicis (I, III-V) proprietates quaedam metricae, quae reliquis in carminibus Theocriteis non occurrunt. Nam qui rem accuratius perscrutatus erit, intelliget Theocritum in his idylliis, cum caesura sit in fine quarti pedis, spondeum ita tantum admittere, ut ultima syllaba sit vox monosyllaba ad sequentia verba pertinens, et caesuram trochaicam in quarto pede non nisi sic habere, ut vox monosyllaba sequatur.[2]) Quae cum ita sint, Theocritum juvenem liberiorem sibi concessisse licentiam, aetate autem composita et moderata severiores secutum esse leges credendum est. Verus enim poeta, qui divino quodam afflatu quasi coactus versus coepit contexere, in metricis rebus primum majore utitur licentia, libertatis ac juventutis fervore coercito et temperato severioribus servit legibus. Contra qui non libero ingenio aut facultate quadam ad poeticen attingendam trahitur, sed operosa arte poematia elaborat, primum severissimas omnibus in rebus

---

1) Cf. Ahrens, Bucoll. graec. rell., Lips. 1859, II p. 8 „*περὶ τῆς διαλέκτου τοῦ Θεοκρίτου*“: *Δωρίδι καὶ Ἰάδι διαλέκτῳ κέχρηται ὁ Θεόκριτος, μάλιστα δὲ ἀνειμένῃ καὶ χθαμαλῇ Δωρίδι παρὰ τοῦ Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος.* Hypoth. id. II (Ahrens l. l. p. 12): *Τὴν δὲ Θεστυλίδα ἀπειροκάλως ἐκ τῶν Σώφρονος μετήνεγκε Μίμων.* Hypoth. id. XV (Ahrens p. 26): *Παρέπλασε δὲ τὸ ποιημάτιον ἐκ τῶν παρὰ Σώφρονι Θαμένων τὰ Ἴσθμια.* — Kapp l. l. p. 21 et 22. Rannow l. l. p. 22.

2) Brinker l. l. p. 13 et 18 sqq.

secutus leges, postquam exercitatione longinqua quasi artifex numerorum exstitit, tum demum nimiam diligentiam relinquere et minus anxius esse audet.

Etiam aliis proprietatibus ad rem metricam atque dialectum pertinentibus diversa poeseos Theocriteae genera inter se differunt: consentiunt enim inter se de usu hiatus[1]) et dorismi,[2]) qui in utroque carminum genere plane est idem, carmina epica (XXII et XXIV) et encomiastica XVI et XVII). Eo accedit, quod usu Homerico versuum spondiacorum nominibus propriis terminatorum inter se congruunt epica, encomiastica, mimica.[3]) Sequitur igitur, carmina mimica, ut jam supra dixi, et encomiastica, quibus poeseos generibus eadem aetate poetam nostrum operam navavisse aliis quoque rebus comprobatur, tempore, quo conscripta sint, propius accedere ad epica carmina quam bucolica.

Quae cum ita sint, Theocritum profectum ab epicis carminibus pangendis, quorum quin carmen XXV, cum a ceteris carminibus plane diversum et dialecto et dictione et re metrica ad Homeri exemplum expressum sit, poeta admodum adolescens ante reliqua carmina epica composuerit minime dubium est[4]), ad mimica et encomiastica carmina scribenda transisse et tum demum temporum decursu ad poesin pastoralem decessisse jam satis dilucide apparet. Ea autem argumentatione sententiam, superiore aetate poetae idyllium septimum exstitisse, simul firmari ac comprobari nemo non sentit.

Quibus disputatis eorum quoque sententia refutata esse mihi videtur, qui temporis maxime ratione permoti versus hujus idyllii supra laudatos *ὥς μοι καὶ τέκτων κτλ.*, quibus aequalem poetam epicae artis studiosum a Theocrito notari ac castigari dictum est, ad Apollonium Rhodium referri posse omnino negaverunt.[5]) Iis enim, qui juvenili poetae aetati idyllium septimum assignandum esse censent, ne natum quidem fuisse Apollonium eo tempore, quo versus illi conscripti essent, certe dicendum est. At qui provectiori Theocriti aetati carmen nostrum deberi sibi persuaserunt, temporis rationem non prohibere, quominus ad Argonauticorum auctorem, quem admodum juvenem illud carmen in lucem emisisse satis notum est,[6]) illi versus referantur, negare nequeunt. Sed multa etiam monent, ut versibus illis Apollonium perstringi existimemus. Primum enim constat,

---

1) Kruegermann l. l. p. 17.

2) Brinker l. l. p. 55 - 57.

3) Fritzsche, Theokrits Gedichte, 3. Auflage (Hiller), Leipzig 1881, p 201.

4) Brinker l. l. p. 64 sqq.

5) Wuestemann l l. p. 109. Brinker l. l. p. 9 in adnot. — Fritzsche-Hiller (p. 120 in adnot. ad v. 47): „Wen er besonders im Sinne habe, lässt sich nicht mit Sicherheit nachweisen.“ — Theocritum his versibus Apollonium attingere voluisse e. gr. contendunt Gerhard (Lectiones Apollonianae, Lips. 1816, p. 5), Kiessling (Theocriti rell., Lips 1819, p. 114), Weichert (Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius von Rhodus, Meissen 1821, p. 59), Hempel (l. l. p. 58 sqq.), Kapp (l l. p. 3) — „Notari ac vellicari poetas aequales e. gr. Apollonium Rhodium vel Callimachum“ Fritzschius exposuit in libello „de poetis graecis bucolicis“, Giessen 1844. p. 5 (cf. ed maj. p. 217 in adnot. ad. v. 48). Bergkius (Ind. lectt. Hal. Viteb. 1861 p. VI) illos versus ad Antagoram Rhodium refert, „qui una cum Arato Antigoni hospitio utebatur et epicam poesin fere exstinctam resuscitare audebat.“ Merkelius (Apoll, Rhod. Argonaut. ed., Lips. 1854, p. XXV) in Theocritum haec scribi non potuisse, si ipsum idyllium septimnm, ut fieri soleat, juvenili Theocriti aetati assignandum sit, recte judicat.

6) „*Γένος Ἀπολλωνίου*“ (Merkel l. l. p. 532): *Τοῦτον λέγεται ἔφηβον ὄντα ἐπιδείξασθαι τὰ Ἀργωναυτικὰ καὶ κατεγνῶσθαι.* Cf. Merkel l. l. p. X sqq.; Hempel l. l. p. 58.

eo tempore, quo Theocritus illud carmen conderet, omnium, qui tum florebant, poetarum epicorum Rhodium fuisse vel principem, qui Homerum imitans magno carmine epicum exhibente argumentum gloriam sibi parere conaretur. Deinde in vehementissima illa lite, quae Argonauticis recitatis statim inter hujus carminis auctorem et Callimachum exstitit, nostrum poetam Callimachi plane secutum esse partes notum est,[1]) ut illos quoque versus in Apollonium scriptos esse satis probabile sit. Maxime autem, ut ad eam sententiam accedam, ea re adducor, quod in ipso Theocriti idyllio septimo locus exstat prorsus in imitationem versuum quorundam Apollonianorum compositus. Comparentur enim velim inter se carminis nostri versus inde a v. 15 exstantes, quibus Lycidam poeta depingit,

ἐκ μὲν γὰρ λασίοιο δασύτριχος εἶχε τράγοιο
κνακὸν δέρμ' ὤμοισι νέας ταμίσοιο ποτόσδον,
ἀμφὶ δέ οἱ στήθεσσι γέρων ἐσφίγγετο πέπλος
ζωστῆρι πλοκερῷ, ῥοικὰν δ' ἔχεν ἀγριελαίω
δεξιτερᾷ κορύναν. καί μ' ἀτρέμας εἶπε σεσαρώς
ὄμματι μειδιόωντι

et ii versus, quibus in Argonauticis (Δ 1437—1439) Herculis describitur habitus,

— — ὄσσε δέ οἱ βλοσυρῷ ὑπέλαμπε μετώπῳ·
νηλής· ἀμφὶ δὲ δέρμα πελωρίον ἕστο λέοντος
ὠμόν, ἀδέψητον· στιβαρὸν δ' ἔχεν ὄζον ἐλαίης.

Qui enim paulo accuratius eos versus perlegerit, facile sibi persuadebit, alterum poetam alterius verba ante oculos habuisse suaque ad ejus exemplum expressisse. Quin autem Theocritus Apollonii, non Apollonius Theocriti versus imitatus sit, propterea dubium esse non potest, quod in Theocriti versibus ludibrium quoddam inesse, quo grandia Apollonii verba jocose persequatur poeta, facile est ad cognoscendum. Parodiam autem, quae vocatur, non nisi post scriptoris verba, quae in ludibrium risumque vertantur, oriri negari nequit. Accedit, quod versibus quoque initio carminis nostri exstantibus

καὶ Φρασίδαμος
κἀντιγένης, δύο τέκνα Λυκωπέος, εἴ τί περ ἐσθλόν
χρῶν τῶν ἐπάνωθεν, ἀπὸ Κλυτίας τε καὶ αὐτῶ
Χάλκωνος, Βούριναν ὃς ἐκ ποδὸς ἄνυσε κράναν
εὖ ἐνερεισάμενος πέτρᾳ γόνυ,

quibus in modum grandiloqui carminis epici compositis jocosi aliquid et parodici subesse arbitror, cum ludibrio quodam tecte Apollonii versus (Δ 1444 sqq.) significari videntur, quibus Hercules pari modo rupem pede feriens et fontem eliciens depingitur:

[τὴν πέτρην] λὰξ ποδὶ τύψεν ἔνερθε· τὸ δ' ἀθρόον ἔβλυσεν ὕδωρ
αὐτὰρ ὅγ' ἄμφω χεῖρε πέδῳ καὶ στέρνον ἐρείσας
ῥωγάδος ἐκ πέτρης πίεν ἄσπετον.

---

1) Weichert l. l. p. 39. Brinker l. l. p. 11.

Versus idyllii septimi 126 (*ἄμμιν δ' ἁσυχία τε μέλοι γραία τε παρείη*) et 9 (*χλωροῖσιν πετάλοισιν κατηρεφέες κομόωσαι*) ad Apollonii *Γ* 640 (*ἄμμι δὲ παρθενίη τε μέλοι καὶ δῶμα τοκήων*) et 927 (*αἴγειρος φύλλοισιν ἀπειρεσίοις κομόωσα*) spectare pro certo affirmare non audeo, quamquam similitudo versuum eorum vel primo aspectu perspici potest. Etiam multo minus momenti tribuendum esse puto conjecturae Merkelii,[1]) qui ad Theocriti versus supra laudatos *ὥς μοι καὶ τέκτων κτλ.* spectare suspicatus est Apollonii *Α* 735 sqq.:

ἐν δ' ἔσαν Ἀντιόπης Ἀσωπίδος υἱέε δοιώ,
Ἀμφίων καὶ Ζῆθος· ἀπύργωτος δ' ἔτι Θήβη
κεῖτο πέλας, τῆς οἵγε νέον βάλλοντο δομαίους
ἱέμενοι. Ζῆθος μὲν ἐπωμαδὸν ἠέρταζεν
οὔρεος ἠλιβάτοιο κάρη, μογέοντι ἐοικώς·
Ἀμφίων δ' ἐπὶ οἷ χρυσέῃ φόρμιγγι λιγαίνων
ἤιε, δὶς τόσση δὲ μετ' ἴχνια νίσσετο πέτρη.

„Habes, inquit, aedificationem, habes *οὔρεος ἠλιβάτοιο κάρη*, habes locutionem Theocriteum *μογέοντι ἐοικώς*, habes allegoriam non abstrusam, duo cum faciant idem, non esse idem". Sed audiatur de iis, quae Merkelius protulit, Hempelius, cujus sententiam plane meam facio: „Quae si recte, inquit, sese habent, quod mihi quidem non constat, res facile ita explicari potest, ut ea jam primam Argonauticorum editionem continuisse ipsumque poetam in poetarum certamine publico,[2]) quae Alexandreae fuisse contendit Couat, recitasse et Theocritum hunc locum celeberrimum sane, cum imitaretur Apollonius Homeri descriptionem scuti Achillis, significasse (*ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι*) statuamus. Sed res perspicua non est".

Sed ut cunque ea res se habet, id certe pro vero stat, quod mihi proposueram ad demonstrandum, Theocritum, cum versus scriberet idyllii nostri 45 sqq., de Apollonio Rhodio cogitasse, quam sententiam, quotiescunque a viris doctis prolata est, in dubitationem vocatam nunc iis, quae attuli, argumentis paulo stabiliorem ac firmiorem reddidisse mihi videor. Quodsi iis versibus Apollonium imprimis notari ac cavillari voluit poeta, negari non potest, Theocritum idyllium septimum composuisse brevi post primam Argonauticorum editionem, cum vehementissima illa lis inter Apollonium et Callimachum de arte poetica exstitisset, qua in lite nostrum plane a Callimachi partibus stetisse jam supra dictum est. Cum autem primam Argonauticorum editionem circa annos 250—247 in lucem prodisse inter viros doctos satis constet,[3]) idyllium Theocriti septimum circa idem tempus ortum esse nobis statuendum est.

Alias res Brinkerus[4]) ad tempus, quo carmen nostrum conscriptum sit, enucleandum affert. In eundem enim irruens errorem, in quem Wuestemannum, Fritzschium, alios incidisse supra dictum

---

1) l.l. p. XXVII. Cf. Hempel l.l. 61.

2) Apollonium ideo Apollinem Argonauticis inscripsisse, quod in ejus musico agone primum recitavisset, Merkelio (l. l. p. XX.) satis probabile esse videbatur.

3) Merkel l.l. p. X. Brinker p. 13.

4) l. l. p. 9 in adnot.

est, ea opinione duci videtur, idyllium septimum non multo post id tempus compositum esse a poeta, quo res in carmine descriptae evenissent. Illas autem res, cum Aratus Co in insula habitaret et Theocriti amicitia uteretur, actas esse contendit idque ex illis versibus carminis nostri eum collegisse, quibus Arati amorem poeta persequitur, facile intelligi potest. Quod quid valeat, nunc videamus!

Primum Theocritus in ipso idyllio Aratum eo tempore, quo ipse cum Lycida pastore carmine amoebaeo certavisse lectori videri vult, in Co insula non versatum esse satis dilucide significasse mihi videtur. Animum enim attendas ad versus carminis nostri inde a v. 98 exstantes:

ὥρατος δ' ὁ τὰ πάντα φιλαίτατος ἀνέρι τήνῳ
παιδὸς ὑπὸ σπλάγχνοισιν ἔχει πόθον. οἶδεν Ἄριστις
ἐσθλὸς ἀνήρ, μέγ' ἄριστος, ὃν οὐδέ κεν αὐτὸς ἀείδειν
Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι,
ὡς ἐκ παιδὸς Ἄρατος ὑπ' ὀστέον αἴθετ' ἔρωτι.

Ex verbis enim „οἶδεν Ἄριστις, ὡς ἐκ παιδὸς Ἄρατος ὑπ' ὀστέον αἴθετ' ἔρωτι", quibus quae antecedunt graviter confirmantur, recte concludere mihi videor Theocritum non per se ipsum amici cognovisse amorem, sed ab Aristi illo, cujus poeticam verbis tam magnificis laudat virtutem, ejus rei certiorem factum esse et id sive per litteras[1]) in poeticos, ut saepe fiebat, redactas numeros sive per carmen aliquod, quo Arati amorem celebraret[2]) vel, quod mihi magis verisimile videtur esse, jocose persequeretur.[3]) Quae sententia particula ἆρα, quo Theocritus in v. 105[4]) utitur, haud modice comprobatur ac firmatur, cum illa particula recte intellecta hunc illi versui sensum subjectum esse censeam: „Sive igitur revera Philinus — ut Aristis suspicatur — sive alius est"[5]). Quodsi Aratus illo tempore, quo Theocritus ibi versabatur, in Co insula habitasset, certe noster, quem illo familiarissime usum esse inter omnes constat, non demum ex Aristis litteris vel carmine recenti pueri cujusdam amore incensum esse amicum cognoscere neque verbis tam gravibus illo auctore uti debuit, verum quo amore arderet, ipse jam sentire vel ex ipso amico audire potuit. Accedit, quod Theocritus, utrum Philinus, si modo hoc verum pueri nomen est, an alius sit, cujus desiderio Aratus tabescat, se non certo scire significat, quod quomodo fieri potuerit, si ei quotidiana fere consuetudo cum amico illo tempore fuisset, difficile est dictu. Recte igitur ex verbo οἶδεν collegisse mihi videor Aratum illo tempore Co in insula non versatum esse, ex quo efficitur,

---

1. Certe enim Aristis Theocriti amicus intelligendus est, qui utrum vero an ficto a poeta nomine appellatus sit, difficile dijudicari potest. Ego fictum nomen esse censeo et, ut jam dicam, Niciam, Milesium illum medicum et poetam, quem artissimo amicitiae vinculo cum Theocrito conjunctum fuisse satis notum est, sub eo nomine (ἀριστεύειν = νικᾶν, Ἄριστις — μέγ' ἄριστος = Νικίας) latere suspicor. Quod ut conjiciam, multae et graves causae me impellunt, quamquam ipsi mihi rem non satis constare confiteor. Sed de Aristi in alio quaestionum mearum capite pluribus agere in animo habeo.

2) Amores Arati carmine aliquo celebrasse Aristin jam Meinekius ex verbo οἶδεν recte conclusit. Cf. Fritzsche, ed. maj., p. 235 in adn. ad v. 99.

3) Vide infra.

4) „εἴτ' ἔστ' ἆρα Φιλῖνος ὁ μαλθακὸς εἴτε τις ἄλλος".

5) Cf., Fritzsche, ed. maj., p. 237 in adnot. ad v. 105.

1887. Progr. No. 12

ut e carmine nostro illum poetam unquam in ea insula habitavisse concludi posse omnino negandum sit. Quare qui ut Brinkerus[1]) tempus, quo fiere potuerit, ut Aratus in Co insula habitaret, ad calculos vocans, quo tempore res carminis septimi actae sint, definire conetur, nihil eum nisi vanas hariolationes proferre posse jam satis mihi constat. Tum autem quoniam totum illud certamen poeticum, quod inde a versu 10 usque ad 129 verbose poeta describit, fictum esse a Theocrito nemo negat, facile fieri potuisse memineris volo, ut rerum, quae haud brevi post sacra illa Cereris cum Cois amicis celebrata actae essent, quin etiam earum rerum, quae in veritate nunquam evenissent, in ea carminis parte fieret mentio. Id si revera factum sit, quod equidem negare non audeo, e tota illa carminis parte ad tempus rerum definiendam nihil omnino hauriri posse facile est ad intelligendum.

Addere hic mihi liceat perpauca de Arati amore, quem Theocritus cum ludibrio quodam haud dubie persequitur. Qui amor si eidem fere tempori, quo idyllium septimum ortum esse supra demonstratum est, assignari debet, quod mihi quidem verisimillimum videtur esse, Aratum provecta jam fuisse aetate, cum sero illo amore caperetur, negari nequit. Quam ob rem tantum abest, ut cruciatus ejus amicorum concitarent misericordiam, ut ludibrium risumque eorum moverent. Theocriti quidem poemation illud in Arati amorem compositum totum spirare ludibrium ac jocum nemo non sentit. Maxime autem iis, qui extrema poematis parte exstant, versibus adducor, ut amatorem jam infirmum invalidumque a poeta notari ac perstringi existimem. Versus quidem 124 an ad tenuem amatoris valetudinem pertineat, haud certo scio, versui autem 125, si in eo participium *μολών* legitur, quod pro vulgata lectione *Μόλων* Graefii suasu Ahrensius all. receperunt,[2]) hanc sententiam subjectam esse censeo: „Tu jam invalidior es, quam qui etiamnunc Veneris perfungi possis militia: quare eam hominibus jam concedas junioribus, quibus palaestrae operam adhuc navantibus satis est virium ad ejusmodi labores ac tormenta perferenda." Qui lectionem vulgatam *Μόλων* retinendam esse censet, is reminiscatur volo apud Aristophanem[3]) *ἡλίκος Μόλων* et apud Eustathium[4]) *Μόλωνες οἱ πολυμεγέθεις* inveniri, unde sequitur etiam ea lectione retenta eundem fere effici sensum: „Non te annis jam infirmum, sed homines magnitudine ac robore corporis insignes[5]) amoris subire labores decet, tibi curae sit animi tranquillitas!" Quid sentiat poeta, mea quidem sententia haud plane intelligentes omnes adhuc interpretes et vetustiores[6]) et recentiores vocabulum in v. 125 exstans *παλαίστρα* Theocritum tormenta ac dolores[7]), quos amatores repudiati perpetiuntur, significantem per trans-

---

1) l. l. p. 9 in adn

2) Cf. Fritzsche, ed. maj., p. 243 sq.

3) Ran. 55.

4) Cf. Kock, Ausgewählte Komödien des Aristophanes, III, adn. ad. ran. 55.

5) Molonem rivalem fuisse Arati scholiasta ex nullo alio scilicet fonte quam ex ipso nostro carmine hauriens dicit. Cf. Hiller, l. l ad v. 125. Wuestemannus, Fritzschius, all. verum verbi sensum mea quidem sententia non penitus intelligentes Theocritum hominem pinguem, rusticum, inficetum describere voluisse suspicantur.

6) Unus modo e scholiastis vetustioribus, utrum proprie an tropice vocabulo *παλαίστρα* poeta usus sit, in dubio relinquit; si proprie dictum sit, palaestram, in qua Philinus luctando exerceatur, intelligendam esse mirum in modum existimat: *Λέγει δὲ ἢ τὴν παλαίστραν κυρίως, ἐν ᾗ ἐγυμνάζετο Φιλῖνος, ... ἢ μεταφορικῶς.* Cf. Ahrens, II p. 276.

7) *Κακοπάθειαν* interpretantur *παλαίστραν* scholiastae.

lationem dixisse censent: injuria quidem, primum enim, quantum equidem scio ac reperire potui, hic ejus vocabuli usus in nullo omnino Graecarum litterarum monumento occurrit, quamquam vocabula a luctatoribus ad amatores translata haud ita raro apud scriptores Graecos inveniuntur[1]); tum tropice intellecta illa voce usus praepositionis *ἀπό* certe nostro loco aliquam affert offensionem, quae dummodo proprie dictum esse *παλαίστρα* existimes, neque lectione *μολών* recepta neque *Μόλων* retenta quicquam difficultatis habet; denique quodvis vocabulum, si modo fieri potest, primum proprie dictum putari malo quam translatum et tum demum, cum illum in modum explicato vocabulo sensus satis aptus non efficiatur, ad sententiam translatione usum esse scriptorem transeundum esse censeo. Cum autem nostro loco, si propria significatione a poeta vocabulum *παλαίστρα* dictum sit, satis bonam vel potius elegantissimam ac venustissimam verborum esse sententiam vix quisquam jure negare queat, mea verborum explicatio multo probabilior mihi videtur esse quam illorum, qui adhuc illius versus interpretationi operam dederunt. Causam interpretationis illius a mea discrepantis ad veteres scholiastas transferendam esse puto, qui omnes propterea potissimum in errorem videntur irruisse, quod verbis hujus versus eodem omnes mendo inquinatis usi sunt. Namque pro *ἀπό*, quod in codice omnium dignissimo auctoritate legitur atque ab omnibus nunc receptum est editoribus, illi viri *ὑπό* legerunt, ex quo, cum in versu ita immutato verba *ὑπὸ τᾶσδε παλαίστρας* cum *ἄγχοιτο* conjungenda esse negari nequeat, necessarie sane efficiebatur, ut vocabulum *παλαίστρα* non proprie verum per translationem dictum esse a poeta illi statuerent.

Jam ad Brinkeri de tempore carminis septimi sententiam redeamus! Is enim, cum verba Theocriti in carminis nostri v. 47 exstantia *Μοισᾶν ὄρνιχες* assumptis illis, quae in carminis duodecimi v. 7 leguntur, *ἀοιδοτάτη πετεηνῶν* plane in imitationem versus Callimachei[2]) *Μουσάων ὄρνιθες ἀοιδότατοι πετεηνῶν* composita esse sibi persuaserit, brevi post Callimachi hymnum in Delum, quem Koeppium et Wilamowitzium secutus anno fere 276 sive 272 scriptum esse putat, idyllium septimum ortum esse judicat[3]). Sed videamus, num re vera in locis illis Theocriteis imitationem versus Callimachei inesse credendum sit! Facile intelligi potest, loco illo carminis duodecimi *ἀοιδοτάτη πετεηνῶν* Brinkeri sententiam, verba in septimo carmine exstantia *Μοισᾶν ὄρνιχες* Callimacho deberi, cum duobus illis contractis totus versus Callimacheus supra laudatus efficiatur, adeo confirmari ac stabiliri, ut nemo jam nostrum verbis illis *Μοισᾶν ὄνιχες* illum versum tangere voluisse existimaturus sit, dummodo Theocriteum illud *ἀοιδοτάτη πετεηνῶν* Callimacho non tribuendum esse satis demonstretur. Quod mea quidem sententia haud ita difficile est: nam neque Theocritus, cum lusciniam *ἀοιδοτάτην πετεηνῶν* vocaret, Callimachum neque hic iisdem illis verbis de cycnis natum Apollinis cantantibus usus illum imitatus esse, sed uterque poeta Homericos locos memoria tenens illa verba videtur conscripsisse. Vocabulum enim *πετεηνῶν* haud raro eadem qua locis supra laudatis extrema scilicet versus sede et, id quod maximum est, adjectivi superlativa forma ad avem aliquam describendam praecedente apud Homerum legitur:

1) Cf. Fritzsche, ed. maj., p. 244; Ahrens, II p. 521 in adn. ad. schol. v. 125.

2) hymn. IV, 252 (ed. Wilamowitz.).

3 l. l. p. 9 in adn.

Χ 139 [κίρκος] ἐλαφρότατος πετεηνῶν.
ν 87 [ἴρηξ] ἐλαφρότατος πετεηνῶν.
Θ 247 [αἰετὸν] τελειότατον πετεηνῶν. Cf. *Ω* 315.
Ο 238 [ἴρηξ,] ὅστ' ὤκιστος πετεηνῶν.
Φ 253 [αἰετός,] ὅσθ' ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν.
Ρ 675 [αἰετὸν] ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν.

Quanta sit similitudo, quae iis locis cum illis est, de quibus agimus, nemo non sentit. Nonne et Theocritum et Callimachum Homerico illo versus exitu in memoria eorum inhaerente sive consilio sive casu adductos illa verba conscripsisse vel maxime credibile est? Ac ne vocabulum quidem *ἀοιδότατος* Theocritum e Callimachi hymno in Delum exscripsisse probabile est: eo enim vocabulo Euripidem[1]) jam et Phanoclem[2]) et Eupolin[3]) usum esse scimus. Quodsi verba illa Theocriti *ἀοιδοτάτη πετεηνῶν* Callimacho non deberi satis dilucide demonstratum sit, ne illud quidem *Μοισᾶν ὄρνιχες* ex illius poetae versu supra laudato profluxisse certe judicandum est. Quam sententiam scholiastae adnotatione ad carminis nostri versum 47 exstante comprobari ac firmari censeo. Scholiastae verba haec sunt: *Μουσῶν ὄρνιθες λέγονται πάντα τὰ εὔφωνα τῶν ὀρνέων. ἐνταῦθα δὲ τοὺς ποιητὰς λέγει Μουσῶν ὄρνιθας μεταφορικῶς διὰ τὰ μέτρα καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς ἐμμέλειαν.* Quibus ex verbis recte concludere mihi videor verba illa *Μουσῶν ὄρνιθες* proprie dicta saepius invenisse interpretem illum, ut nostro loco metaphoricam eorum sententiam tangendam et explicandam esse existimaret. Quid autem impediat, quominus ex suo ingenio poetarum cum avibus canoris comparationem illam satis propinquam Theocritum prompsisse putemus, equidem nescio, praesertim cum haud raro eadem illa comparatio apud veteres occurrat.[4]) Si etiam aliis nostri carminis locis sive aperte sive tecte Callimachei versus attingerentur, ut supra de Appollonii versibus demonstrare studui, ad Brinkeri sententiam accedere non dubitarem, sed adeo tantum, ut post Callimachi hymnum in Delum Theocriti idyllium septimum conscriptum esse concederem: nam brevi post hymnum illum Callimacheum carmen nostrum compositum esse ne tunc quidem crederem, ejus enim sententiae argumenta video nulla neque a quoquam proferri posse censeo.

---

1) Helen. 1109: *τὰν ἀοιδοτάταν ὄρνιθα μελῳδὸν ἀηδόνα.*

2) frg. 1 in Schneidewini delectu poetarum elegiac. graec vs. 22: *πασέων δ' ἐστὶν ἀοιδοτάτη.*

3) Voce composita *κιθαραοιδότατος* utitur. Cf. Rannow l. l. p. 52.

4) Aeschyl. Supplic. 212 de Apolline: *καὶ Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε.* — Eurip. Palam. frg 8: *ἐκάνετε τὰν πάνσοφον ἀηδόνα Μουσᾶν.* — Horat. od. I, 6, 2: Maeonii carminis alite. — Idem IV, 2, 25: multa Dircaeum levat aura cycnum. — Antip. Sid. in Anth. gr. Anacreontem *κύκνον Τήϊον* appellat. — Cf. Horat. II, 20, ubi ipse poeta se in alitem album mutari fingit.

II.

In nominum *Σιμιχίδης* et *Σικελίδης* interpretatione ab iis nobis proficiscendum est, quae veteres scholiastae de iis nominibus disseruerunt: ac primum quidem eorum de Simichidae nomine sententias, quid valeant, ab omni parte examinemus.

1) Schol. vet. ad vs. 21 carm. VII: *οἱ μὲν αὐτόν φασι Θεόκριτον, καθὸ Σιμίχου ἦν υἱός.* Cf. schol. ad III, 8: *οὐδὲ Σιμιχίδας δύναται ἀπὸ τοῦ σιμὸς εἶναι, ἀλλ' ἀπὸ Σιμίχου πατρωνυμικῶς.* — „*Θεοκρίτου γένος*“[1]): *Θεόκριτος, ὁ τῶν βουκολικῶν ποιητής, Συρακούσιος ἦν τὸ γένος πατρὸς Σιμίχου, ὡς αὐτός φησι· „Σιμιχίδα, πᾷ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις;“*

2) Schol. vet. ad vs 21: *ὥσπερ ὁ Θεόκριτος Σιμιχίδα υἱὸς ὢν Σιμιχίδαν ἑαυτὸν ὀνομάζει πατρωνυμικῶς (καὶ Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον ποιητὴν Σικελίδαν καὶ αὐτὸν καλεῖ, παῖδά τινος Σικελίδα λεγομένου τυγχάνοντα. ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ εἰδυλλίῳ τῷ οὕτως λεγομένῳ Αἰπολικῷ καὶ Ποιμενικῷ καὶ τὸν Εὐμήδη υἱὸν ὄντα τοῦ Κρατίδα Κρατίδαν καλεῖ καὶ αὐτόν).* — Schol. vet. ad vs. 40: *ὥσπερ Σιμιχίδαν ἑαυτὸν καλεῖ ὁ Θεόκριτος πατρωνυμικῶς ὡς υἱὸν Σιμιχίδα (καὶ τὸν Εὐμήδην Κρατίδαν, υἱὸν ὄντα Κρατίδα, οὕτω καὶ νῦν Σικελίδαν ὀνομάζει τὸν Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον ὡς υἱὸν Σικελίδα).*

3) Schol. vet. ad vs. 21: *οἱ δὲ ἕτερόν τινα τῶν σὺν αὐτῷ καὶ οὐ Θεόκριτον διὰ τὸ „Σιμιχίδᾳ, μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον“). φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον ἀπὸ πατρίου*[2]) *κληθῆναι, Σιμιχίδου τοῦ Περικλέους τῶν Ὀρχομενίων, οἵτινες πολιτείας παρὰ Κῴοις τετυχήκασιν.* — Quamquam obscuri aliquid et incerti in toto eorum verborum contextu esse non nego, verba tamen *τὸν τοιοῦτον* ad Theocritum pertinere puto. Neque enim iis assentiri possum, quae Hillerus[3]) de iis verbis dicit: Bei den Worten *φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον κτλ.* ist nicht nur unsicher, wie sie ursprünglich gelautet haben, sondern auch, auf wen sich *τὸν τοιοῦτον* beziehen soll: wahrscheinlich auf *τινὰ τῶν σὺν αὐτῷ*, nicht auf Theokrit. — Certe enim mirum esset, si scholiasta viri tam ignoti, qui utrum Eucritus an Amyntas intelligendus sit incertum est, cujus in ullo alio litterarum Graecarum monumento mentionem factam esse vix credibile est, necessitudines privatas tam accurate scivisset, ut etiam avi vel vitrici nomen ei notum esset neque it solum verum totius etiam gentis origo.[4])

4) Schol. vet. ad vs. 21: *καθὸ σιμὸς ἦν.* — *οἱ δε λέγοντες Σιμιχίδαν λέγεσθαι τὸν Θεόκριτον διὰ τὸ εἶναι σιμὸν κακῶς λέγουσι.* — Schol. ad III, 8: *τινὲς διὰ τὸ σιμὸς τὸν Θεόκριτον κωμάζειν*

---

1) Ahrens, II p. 1.

2) *Πατρίου* vulg., *πατρωίου* L, *πατρωοῦ* Hauler (l. l. p. 6).

3 l. l. p. 2 in not. 7.

4) Ahrens, II p. 516: „et ipsi mihi probabile videtur, haec (scil. *φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον κτλ.*) non cum praecedentibus jungenda esse, sed ex alio antiquo scholio, quod Simichidae nomen de Theocrito interpretaretur, addita.“

φασίν, ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς Θαλυσίοις Σιμιχίδας ὠνόμασται. πλὴν ουκ αἰπόλος ὁ Θεόκριτος, οὐδὲ Σιμιχίδας δύναται ἀπὸ τοῦ σιμὸς εἶναι. — Hypoth. id. III: τὸ δὲ τοῦ ποιητοῦ πρόσωπον οὐκ ἂν εἴη, ὥς ὁ Μούνατός φησιν ἐκ τοῦ λέγειν τὸν ἐπικωμάζοντα „ἦρά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι“; — „Θεοκρίτου γένος“: ἔνιοι δὲ τὸ Σιμιχίδης ἐπώνυμον εἶναι λέγουσι — δοκεῖ γὰρ σιμὸς ἦν τὴν πρόσοψιν.

5) Schol. vet. ad vs. 21: οἱ δὲ ἕτερόν τινα τῶν σὺν αὐτῷ καὶ οὐ Θεόκριτον διὰ τὸ „Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον.“

Sub Simichidae nomine carminis auctorem delitescere ex ipso carmine facile intelligi potest, auctorem autem Theocritum esse omnes consentiunt neque profecto ulla res est, qua commoti hoc idyllium a Theocrito abjudicare possimus. Theocritum in carmine nostro nomine Simichidae significari veteres quoque interpretes intellexerunt ac periclitati sunt, si causam invenire possent, qua adductus hoc sibi nomen jure sumpsisset poeta.

Patronymicam formam vocabuli Simichidae consideranti Simichum quendam patrem fuisse poetae eamque ob rem illo nomine appellari voluisse Theocritum procul dubio primum in mentem veniet. Quare quod scholiasta quoque quidam eundem in modum ratiocinatus de Simicho quodam, qui pater Theocriti fuerit, cogitavit illiusque ab nomine Simichidae nomen esse deductum contendit, certe non mirum est. Et vero contra hanc nominis interpretationem vix quemquam quid afferre posse puto, nisi satis notum esset Proxagora quodam patre et Philine matre Theocritum natum esse, cujus rei auctoritas nullo modo in dubitationem vocari potest. Quod apud Suidam legitur „Θεόκριτος, Πραξαγόρου καὶ Φιλίνης· οἱ δὲ Σιμίχου“, id quoque e nullo alio fonte quam nostro carmine collectum esse facile intelligitur. Tum fuisse puto, qui iisdem illis, quae contra primam nominis interpretationem movi, offensi et derivationem nominis patronymicam contuentes contenderent Theocritum nomen Simichidae sibi vindicasse, quod revera Σιμιχίδης, quamquam non Simichi cujusdam filius, tamen haud scio an nepos vel pronepos esset. Eam enim sententiam subjectam fuisse conjicio antiquo illo scholio non jam superstiti, ex quo ab inferioris aetatis interpretibus male lecto et intellecto novum denique illud scholium, cui alterum supra attribui locum, profluxerit, praesertim cum etiam, ut nunc leguntur, verba initio illius scholii exstantia ita explicare nihil prohibere videatur: εἰσὶ δὲ καὶ πατρωνυμικὰ οὕτως ἀπαραλλάκτως λεγόμενα καὶ ἐπὶ τῶν υἱῶν ὡς καὶ ἐπὶ τῶν πατέρων. ὥσπερ ὁ Θεόκριτος Σιμιχίδα υἱὸς (= υἱὸς πατρός τινος, ὃς Σιμιχίδης τ. ἐ. Σιμίχου τινὸς υἱὸς ἢ ἀπόγονος ἦν) ὢν Σιμιχίδαν ἑαυτὸν ὀνομάζει πατρωνυμικῶς. Quamquam autem hic patronymicorum usus certe nihil insoliti habet, ut etiam apud nostrum[1]) et saepissime apud Homerum occurrit, qui e. gr. non solum Peleum, Aeaci filium, verum etiam multo saepius Achillem nepotem Αἰακίδην appellat, tamen mirum esset, si Theocritus ad avum vel proavum spectans nomen ab ejus nomine in modum patronymici derivatum sibi sumpsisset, quod Homerus aliique poetae iis ejusmodi nomina indere solent viris, quorum nobilem gentis originem ad Jovem vel alium deum vel regem vel virum rebus gestis praeclarissimum redeuntem significare volunt. Quid autem Theocritum commovere potuerit, ut avi vel proavi, ignotissimi scilicet hominis, nomen sibi inderet, equidem nescio. Neque tamen ad eam nominis interpretationem

1) E. gr. I, 126 commemoro, ubi Arcadem, Lycaonis nepotem, Λυκαονίδην poeta appellat.

accedere dubitarem, cum praesertim tertia quoque scholiorum adnotatione scilicet lectione vulgata *ἀπὸ πατρίου* retenta comprobari videatur, nisi alia, quam infra proferam, magis mihi placeret. — Verba alterius scholii inde a „*καὶ Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον ποιητήν*" non ab eodem atque antecedentia auctore orta verum postea ab alio addita esse, malam verborum structuram atque omnis scholiorum generis originem considerans recte concludere mihi videor. Namque mea quidem sententia, si ab eodem omnia prodissent auctore, in hunc fere modum verba conscripta essent: *ὥσπερ ὁ Θεόκριτος Σιμιχίδα υἱὸς ὢν Σιμιχίδαν ἑαυτὸν καὶ Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον ποιητήν, παῖδά τινος Σικελίδα τυγχάνοντα, Σικελίδαν ὀνομάζει πατρωνυμικῶς.* Item verba scholii inde ab *ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ εἰδυλλίῳ* usque ad *Κρατίδαν καλεῖ καὶ αὐτόν* ut a tertio quodam interprete vel multo inferiore tempore, qui praecedentia confirmaret ac stabiliret, adjuncta esse conjiciam, non solum mola verborum cum praecedentibus conjunctione, verum etiam ea re potissimum commoveor, quod adnotatio eandem nominis *Κρατίδης* explicationem continens in scholiis ad carminis quinti vs. 90 et 134 omnino deest. Illa autem verba ad ea, quae antecedunt, confirmanda nihil omnino afferre hodie inter omnes constat, cum nemo jam dubitare possit, quin nominibus, *Κρατίδης* et *Εὐμήδης* in idyllio quinto homines duo plane diversi significentur. Qui autem haec additamenta ad ea, quae initio scholii alterius leguntur, apposuerint, eos aliter atque a me explicata sint illa verba intellexisse, hoc in promptu manifestumque est. Etenim illi homines falso scilicet scholiastae verba intelligentes Theocritum putaverunt hominis cujusdam fuisse filium, cui nomen esset *Σιμιχίδης*, ejusque nomen ipsum sibi imposuisse, quod ab eo nomine, cum patronymici jam haberet formam novum patronymicum derivari non potuisset. Addunt, ut eam nominis explicationem firment, eodem modo Asclepiadem quoque Samium illum epigrammatographum patris nomine Sicelidam et Eumedem in quinto idyllio Cratidam a nostro appellatum esse. Eadem autem illa, quae jam contra primam scholiorum explicationem nominis dixi, Praxogora patre Theocritum natum esse, contra horum quoque sententiam movenda sunt. Tum illud quoque non negligendum esse mihi videtur, usum illum nominis paterni forma non immutata filio indendi in nullo prorsus Graecarum litterarum monumento inveniri, nisi forte huc pertinere existimes scholium ad Pindari Pyth. VI, 4 exstans[1]): *Τοῦ κυρίου ὄντος Ἐμμενίδου οὐκ ἂν γένοιτο Ἐμμενίδαι· ἡ δὲ ποιητικὴ παρέκτασις καὶ οἱ σχηματισμοὶ ἐπὶ τῶν κυρίως πατρωνυμικῶν ἐπὶ τὰ αὐτῶν τρεπόμενα ὀνόματα, οἷον Ἡρακλείδης καὶ Ἀσκληπιάδης ἐστὶ μὲν σχήματι πατρωνυμικά, κύρια δέ τινων. εἴ τις οὖν τοῦ Ἡρακλείδου υἱὸν πατρωνυμικῶς βούλοιτο σημῆναι, ὁμονύμως ἂν πάλιν πατρὸς Ἡρακλείδην καλοίη.* Sed licet nobiles illos Agrigentinos, quos ex Emmenidae cujusdam progenie fuisse scholiasta tradit, unius ex majoribus nomine non immutato Pindarus appellaverit: quod Pindaro vati divino quodam afflatu altissime assurgenti in carmine summa elatione orationis composito licebat, idem Theocritum in idyllio simplicitate verborum insigni nulla re coactum sibi concessisse vix credibile est. Ceterum cavendum esse censeo, ne nimis fidei illi adnotationi scholiastae Pindari tribuatur, cum mihi quidem maxime dubium esse adhuc videatur, an potius Pindarus, cum illud nomen adhiberet, errore inductus de Emmene quodam auctore gentis Emmenidarum cogitaverit. Denique inusitatissimam certe illam nominum

---

1) Cf. Ahrens. II p. 516.

translationem fuisse vel inde quoque colligi potest, quod tam verbose usum illum explicandum esse interpres carminum Pindaricorum existimavit.

Ut de tertia quoque nominis *Σιμιχίδης* interpretatione, de qua supra jam nonnulla attuli, paucis agam, primum Hauleri conjecturam *πατρῴου* pro vulgata lectione *πατρίου* minime necessariam esse arbitror: ad eam autem conjecturam ea una re Haulerum abductum esse, quod duplicem illam de nomine patris Theocriti memoriam fide dignam esse demonstraturus esset, nemo non sentit. Verba *ἀπὸ πατρίου* de avo vel proavo intelligenda esse Ameisius[1]) jam recte cognovit. Quod addit scholiasta „*Σιμιχίδου τοῦ Περικλέους τῶν Ὀρχομενίων, οἵτινες πολιτείας παρὰ Κῴοις τετυχήκασιν*“, certe profecto dubitari non potest, quin in Co insula Simichidas — vel Simichus — quidam vixerit, Periclis filius, qui inter Orchomenios in Cois civitate donatos fuerat: etenim ea quidem res accuratius a scholiasta tradita est, quam ut in dubitationem vocari possit. Neque vero quicquam nos cogere puto, ut illum Simichidam ullam cum Theocrito habuisse necessitudinem credamus cum eam adnotationem addidisse scholiasta videatur e scriptoris alicujus libro adhuc non superstite petitam, ut interpretatio sua nominis lectoribus fide paullo dignior videretur. Facile autem errore quoque induci poterat, ut Simichidam illum, Periclis filium, avum vel proavum Theocriti fuisse statueret, cum multi homines ex nullo alio scilicet fonte quam ex idyllio septimo haurientes Co insulam patriam poetae nostri fuisse crederent.[2])

De quarta scholiorum adnotatione longa disputatione omnino non opus esse censeo, cum neminem jam dubitare existimem, quin ad illam de nominis origine sententiam plane absurdam Munatus ille,[3]) quem acuminis illius inepti auctorem fuisse in hypothesi idyllii tertii traditum est, ejusdem carminis versu octavo pellectus sit, ubi pastor, quem Theocritum intelligendum esse falso interpres ille putabat, puellam dilectam, num *σιμός* esse ei videatur, interrogat. Demonstratur autem ea adnotatione, praesertim cum alii interpretes, ut ex scholio ad tertii carminis versum octavum exstante[4]) recte concludi potest, ad Munati sententiam accedere non dubitarent, quam parva jam antiquis temporibus illarum nominis interpretationum, de quibus supra egimus, fiducia habita sit: ex quo efficitur, ut omnibus iis, quae ad nomen Simichidae explicandum scholiastae attulerunt, quam maxime diffidere summo jure mihi videar. Etenim si omnes interpretes unam eandemque sequuntur sententiam, dummodo ne gravissimis causis ei assentiri vetemur, ad eam accedere certe decet: sin autem inter se dissentiunt neque quisquam suae sententiae gravia ac firma argumenta affert, nullam eorum sententiam assensione comprobare optimum esse mihi videtur.

Ut paucis repetam, quae de scholiorum interpretationibus illius nominis adhuc disserui, ita sese habere rem arbitror: Interpretes veteres, cum sub Simichidae nomine ipsum Theocritum latere facile intellexissent, primum id quod e rei natura sequebatur, e patris nomine hoc nomen illum

---

1) Cf. Fritzsche, ed. min., p. 2 in not. 7.

2) Suidas: *Θεόκριτος, Πραναγόρου καὶ Φιλίννης (οἱ δὲ Σιμμίχου), Συρακούσιος· οἱ δέ φασι Κῷον.* Cf. Fritzsche ed min., p. 1, not. 5.

3) De Munato vid Ahrens, II p. XXXII.

4) „*Τινὲς διὰ τὸ σιμὸς τὸν Θεόκριτον φασίν, ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς Θαλυσίοις Σιμιχίδας ὠνόμασται*“. Cf. schol ad III, 21: *Οἱ δὲ λέγοντες Σιμιχίδαν λέγεσθαι τὸν Θεόκριτον διὰ τὸ εἶναι σιμὸν κακῶς λέγουσιν.*

hausisse putabant, tum alii, quibus Praxagorae filium Theocritum fuisse haud ignotum erat, illud nomen ab avi vel proavi nomine in modum patronymici deductum poetam sibi sumpsisse statuerunt, alii denique ad sententiam vel minime probabilem aberraverunt, ipsum patris nomen a Theocrito usurpatum esse. Quae sententiae quam viles levesque ac fide indignae sint, cum recte cognovisset, Munatus aliam nominis explicationem indagans, ut sententiam omnium ineptissimam proferret, inductus est, cum Theocritum, quod *σιμός* fuisset, Simichidam appellatum esse contendere non vereretur.

Quibus disputatis nemini jam dubium fore spero, quin scholiastae, cum Simichidae nomen explicarent, e nullo alio fonte quam ex ipso nostro carmine haurientes illa, quae ad interpretationem attulerunt, cogitatione sola invenerint, praeter eum autem fontem alio nemo nisi is usus sit, qui apud scriptorem quendam Simichidae Coi nomini occurrens ejus cum Theocrito nostro finxit necessitudinem. Quaerentibus igitur nobis, quantum pretii illis scholiorum nominis interpretationibus statuendum sit, futiles commenticiasque ac ne minima quidem fide dignas eas esse haud dubie dicendum est: qua re quaecunque Fritzschius, Haulerus, Hempelius, Brinkerus, alii ad Theocriti vitam describendam aliasque res explicandas ex eis collexerint, ut argumentis omnino non firmata repellenda ac rejicienda esse censeo. Haec vero de earum adnotationum auctoritate sententia iis, quae ad nomen *Σικελίδης* explicandum scholia admovent, non modice fulciri mihi videtur. Quam ob rem, priusquam ad quintam nominis *Σιμιχίδης* explicationem transeam, de scholiis ad vs. 40 exstantibus paucis disserere mihi liceat.

Duae in scholiis exstant de nomine *Σικελίδης* sententiae inter se discrepantes:

1) Schol. vet. v. 40: *Ἀσκληπιάδην φησὶ τὸν Σάμιον τὸν ἐπιγράμματα γράψαντα, οὗ δοκεῖ ἀκουστὴς γεγονέναι ὁ Θεόκριτος. Σικελίδας δὲ ἐκαλεῖτο πατρωνυμικῶς· ἦν γὰρ Σικέλου οὕτω καλουμένου υἱός.* — Rec.: *τὸν Σικέλου μὲν υἱόν, Ἀσκληπιάδην δ' ὠνομασμένον. φασὶ δὲ αὐτὸν εἶναι ἐπιγραμματόγραφον, τὸ γένος Σάμιον, οὗτινος ἠκροάσατο ὁ Θεόκριτος.*

2) Sch. vet.: *Ἀσκληπιάδην φησὶ τὸν ἐπίγραμματόγραφον. ὥσπερ γὰρ Σιμιχίδαν ἑαυτὸν καλεῖ ὁ Θεόκριτος πατρωνυμικῶς ὡς υἱὸν Σιμιχίδα, καὶ τὸν Εὐμήδην Κρατίδαν, υἱὸν ὄντα Κρατίδα, οὕτω καὶ νῦν Σικελίδαν ὀνομάζει τὸν Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον ὡς υἱὸν Σικελίδα· οὗ δοκεῖ ἀκουστὴς γεγονέναι.*

Quas quidem adnotationes ex nullo alio fonte quam ex ipso nostro carmine profluxisse vel inde facile intelligi potest, quod omnino nihil afferunt, quin ex hoc idyllio vel primo aspectu possit concludi: primum enim Asclepiadem, poetam illum Samium, sub Sicelidae nomine delitescere verbis nomini illi in carmine adjunctis *τὸν ἐκ Σάμω* satis dilucide significatur, tum vix quemquam inveniri posse puto, cui nomen *Σικελίδης* Asclepiadi inditum legenti non illud extemplo veniat in opinionem, illud nomen esse patronymicum a patris nomine *Σίκελος* recte deductum. Quod in altero scholio legitur, ipsum patris nomen *Σικελίδης* Theocritum Asclepiadi imposuisse, id eidem assignandum esse interpreti, qui alteri illi adnotationi nominis *Σιμιχίδης* explicationem continenti postremum apposuerit additamentum, illis, quae de eo scholio supra disserui, facile mihi persuasum est, cum praesertim haec sententia etiam scholii verbis ipsis comprobari videatur. Etenim illius scholii principium ac veterrimam partem verbis „*Ἀσκληπιάδην φησὶ τὸν ἐπιγραμματόγραφον*“ contineri, quae autem sequuntur, ea inferiore tempore adjuncta esse suspicari licet: quae suspicio an iterato nomine — *Ἀσκληπιάδην φησὶ τὸν ἐπιγραμματόγραφον* et *οὕτω καὶ νῦν Σικελίδαν ὀνομάζει τὸν*

Ἀσκληπιάδην — nonnihil fulciatur, haud certo scio. Quin verba „οὐ δοκεῖ ἀκουστὴς γεγονέναι“ nihil nisi interpretis conjecturam e carmine nostro temere petitam contineant, jam neminem dubitare puto.

Venimus nunc ad eam nominis Σιμιχίδης explicationem, in qua una quamquam absconditum ac paene exstinctum tamen veri aliquid inesse censeo. Fuisse quosdam scholiasta tradit, qui non ad Theocritum sed ad unum ex ejus amicis illud nomen pertinere arbitrarentur, idemque addit ea re illos homines, ut ita judicarent, adductos esse, quod in ipso carmine poeta de Simichida tanquam de alia persona loqueretur. Sed id certe negari nequit, verbis quidem a scholiasta laudatis „Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον“, cum saepissime, id quod nulli interpreti ignotum esse poterat, poetae scriptoresque tertia usi persona de se ipsis loquantur atque etiam apud nostrum saepius hic usus occurrat, haud dubie omnino neminem, ut ita de illo nomine statueret, potuisse impelli. Ac mihi quidem jam non dubium est, quin is, cui verba ac litterae illius scholii debentur, cum verba „οἱ δὲ ἕτερόν τινα τῶν σὺν αὐτῷ καὶ οὐ Θεόκριτον“ scripsisset, ea, quae sequuntur, „διὰ τὸ Σιμιχίδᾳ κτλ“. ex ipso suo ingenio deprompta neque a vetustioribus illis interpretibus, qui quid de illo nomine existimassent ostendit, accepta adjunxerit, quod in scholio aliquo vetustiore nomini Σιμιχίδης verba „εἷς τῶν Θεοκρίτου φίλων“ adscripta legens nullam aliam nisi illam reperire poterat causam, qua commoti interpretes quidam ad istam, quae ei quidem stulta ac plane inepta videbatur, sententiam aberravissent. Cum igitur verbis carminis a scholiasta laudatis certe nemo commoveri posset, ut miram illam de Simichidae nomine proferret sententiam, quanam alia hoc fieri potuerit causa, nobis quaerendum est. Sed quo quis saepius diligentiusque carmen perlegerit ac perscrutatus sit, eo libentius concessurum eum puto, carminis argumento ac verbis, ut nunc legantur, ne stultissimum quidem ac plane ineptum interpretem, ut illud de eo nomine statueret, potuisse impelli. Quod cum ita sit, id unum nobis relinqui mihi videtur, ut eum vel potius eos, qui unum ex Theocriti amicis nomine Simichidae attingi dicerent, ea re statuamus ad hanc sententiam esse adductos, quod textum carminis haberent in manibus cum nostro discrepantem, in quo alio ordine ac nunc in libris illa, de quibus agitur, nomina legerentur. Et re vera cum saepius accuratiusque de ea re cogitassem, non id solum convictus sum, textum, quo illi homines uterentur, a nostro, quod quidem ad nomina illa attinet, maximopere abhorruisse, verum omnibus, quae ad rem dijudicandam aliquid momenti habere possent, ab omni parte penitus examinatis etiam id mihi jam persuasi, incorruptiora quam nos nunc poetae verba illos legisse, praesertim cum mihi quidem plane non dubium sit, quin illa scholiorum adnotatio multo superiori quam reliquae assignanda sit tempori.

Nunc vero nos quaerentes, quid, quatenus quidem ad nomina illa pertineant, incorrupta poetae verba ab iis, quae in nostris leguntur libris, differant, haud paucae adjuvant res. Ubi enim primum, quam crassis adhuc occultata et circumfusa tenebris illa nomina lateant, cognovi, id mihi confestim venit in mentem, quam apte Theocritus, quippe qui in Sicilia insula natus ac diu moratus haud raro nomine omisso poeta Siculus vel Syracusius apud veteres appelletur[1]) nomen Σικελίδης more poetarum patronymico pro usitata forma Σικελός usus ipse sibi indere

1) E. gr. Athenaeus in Deipnosoph. I, 5 a; Julian. ad Liban. III; Ovid in Ib. vs. 551.

potuisset, simulque perspexi, quam facile fieri posset, ut nomina *Σικελίδης* et *Σιμιχίδης* eandem fere speciem eundemque exhibentia sonum, cum praeterea ejusdem sint, quae dicitur, quantitatis et eandem ubique primam scilicet versus obtineant sedem, a librario paullo negligentiore permutarentur. Jam vero longius acriusque re perpensa, quin re vera Theocritus, cum Asclepiadem illum Samium nomine a patris nomine *Σίμιχος* recte deducto Simichidam vocaret, ad patriam spectans ipse sibi nomen imposuerit Sicelidae,[1]) ea autem nomina a librario ejus libri, ex quo omnes manaverunt codices adhuc exstantes, aliud pro alio scripta sint, nunc plane non dubito. Quemadmodum autem nomina illa transmutata quoque ordine a Theocrito scripta esse censeam, ex iis, quae sequuntur, jam facile intelligetur:

	I.	II.	III.
21.	*Σικελίδα*	*Σικελίδα*	*Σιμιχίδα*
40.	*Σιμιχίδαν*	*Σικελίδαν*	*Σικελίδαν*
50.	*Σικελίδα*	*Σιμιχίδα*	*Σιμιχίδα*
96.	*Σιμιχίδᾳ*	*Σιμιχίδᾳ*	*Σιμιχίδᾳ.*

Primo loco (I) eo ordine nomina collocavi, quo poeta ea scripsisse puto. Quem genuinum ordinem librarius ejus exemplaris (II), quod quo ordine altero loco scripta sunt, nomina exhibuit, ita corrupit, ut in versibus 40 et 50 incuria vel casu quodam inductus nomina transmutaret. Tum scriptor ejus libri (III), ex quo omnes codices adhuc superstites manaverunt, cum nomina in eo, ex quo transscripsit, exemplari (II) non recte posita esse facile intellexisset et *Σιμιχίδᾳ* in versu 96 falso ad auctorem carminis referret, qui in eo libro, quem aute oculos habebat, jam in versu 50 Simichidas erat vocatus, ita ratiocinatus *Σικελίδα* in versu 21 mutavit in *Σιμιχίδα*. Quae perversa emendatio nescio an ei tribuenda sit viro, qui, quoniam singillatim Theocritum carmina sua edidisse valde probabile est,[2]) primam carminum Theocriteorum instituit collectionem, quam quasi fundamentum omnium collectionum postea institutarum fuisse vel marime verisimile est. Sed quicunque fuit, id quidem jam satis videtur constare, ad nominis illius immutationem versu 96 ad Theocritum relato eum potissimum esse pellectum. Illum autem versum ne ad carminis auctorem referamus, et verbis et argumento satis aperte monemur. Primum enim offendit usus pronominis *τῆνος*, quod ad eum, qui loquitur, nullo modo potest referri. Hunc si denotare voluisset, Theocritus haud dubie non *τήνῳ*, sed *τῷδε* scripsisset. Hoc enim pronomen, nusquam *οὗτος* vel *ἐκεῖνος*, adhibetur, si quis tertia usus persona de se ipso loquitur. Quamquam autem pronomen *τῆνος* in dorica dialecto usitatum, si ad originem ejus spectamus, cum pronomine *ἐκεῖνος* (aeol. *κῆνος*) nullam omnino habet necessitudinem, quod certe a *ΤΟΣ*[3]) recte deducitur, ac ne syntacticus quidem, quem

---

1) Apud Kiesslingium (Theocriti rell., Lips 1819, p. 910), Wartonum sequentem, verba scholii ad VII, 40 exstantis leguntur ita distincta: *οὕτω καὶ νῦν Σικελίδαν ὀνομάζει τὸν Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον, τὸν ἐπιγράμματα γράψαντα, ὡς υἱὸν Σικελίδα, οὗ δοκεῖ ἀκουστὴς γεγονέναι.* [*Ὁ Θεόκριτος Σικελίδας δὲ ἐκαλεῖτο πατρωνυμικῶς. ἦν γὰρ Σικελοῦ, οὕτω καλουμένου, υἱός.*]. Neque vero ei rei quicquam tribuendum esse momenti facile perspicitur, cum satis manifestum sit falso ita verba distincta esse. Cf. Ahrens, II, p. 518.

2) U de Wilamowitz-Moellendorff, Callimachi hymni et epigrammata, Berol. 1882, p. 5. — Brinker l. l. p. 15.

3) Cf. casus obliquos articuli et *τῆμος, τηνίκα.*

vocant, usus duorum illorum pronominum plane est idem, quod *τῆνος* etiam partibus pronominis *οὗτος* fungi potest, tamen id quidem constat, *τῆνος* omnibus locis, ubi occurrat, contrario nomine pronomini *ὅδε* oppositum esse, ut pro *ὅδε* nullo pacto poni possit.[1]) Tum etiam sententiam, quae in versibus 96 et 97 inest, multo elegantiorem esse puto, si illi versus ad Asclepiadem, non ad Theocritum referantur. Dicit enim poeta Asclepiade et Arato inter se oppositis, alteri Amores favere, alteri non item. Quod pulchrius venustiusque dictum esse arbitror, quam si Theocritus, praesertim qui tum aetate jam esset proveeta, de se ipso gloriose diceret, se quidem in amore uti summa felicitate, miserrimum autem esse in eadem re Aratum. Aptissime autem Asclepiadem hoc loco attingit: etenim ex epigrammatis ejus poetae in Anthologia Graeca exstantibus amori eum valde deditum fuisse satis intelligi potest, cum omnia fere epigrammata perpaucis exceptis res exhibeant eroticas.

Jam nunc satis dilucide perspici potest, quomodo fieri potuerit, ut interpretatio illa nominis *Σιμιχίδης*, cui in enumerandis scholiorum de eo nomine adnotationibus quintum supra attribui locum, oreretur. Haec enim interpretatio a genuinis poetae verbis profecta una aliquid continet fide dignum, cum dubitari non possit, quiu re vera nomine Simichidae non Theocritus, sed unus ex ejus amicis, Asclepiadem dico, attingatur. Jam quae causa fuerit, cur reliquae scholiorum adnotationes nihil nisi fictas commenticiasque contineant res, nemo non videt, jam denique nomen *Σικελίδης* quid sibi velit cuique a poeta impositum sit, ita in promptu est, ut longiore argumentatione omnino non opus esse videatur.

Sed occurrunt nomina *Σικελίδης* et *Σιμιχίδης* etiam aliis Graecarum litterarum locis quibus, sententiam meam modo expositam adeo non dilui aut refelli, ut contra etiam fulciatur ac comprobetur, jamjam apparebit.

Exstat apud Athenaeum[2]) Hedyli cujusdam, quem non multo post Theocritum vixisse ex ejus epigrammatis in Deipnosophistis et Anthologia Graeca superstitibus facile colligi potest, epigramma in Pasisoclem quendam compositum, qui acerrimus potor idemque suavissimus fuit poeta:

Ἐξ ἠοῦς εἰς νύκτα καὶ ἐκ νυκτῶν Πασισωκλῆς
εἰς ἠοῦν πίνει τετραχόοισι κάδοις.
εἶτ' ἐξαίφνης που τυχὸν οἴχεται. ἀλλὰ παρ' οἶνον
Σικελίδου παίζει πουλὺ μελιχρότερον.
ἐστὶ δὲ δὴ πουλὺ στιβαρώτερος. ὡς δ' ἐπιλάμπει
ἡ χάρις. ὥστε, φίλε, καὶ γράφε καὶ μέθυε.

Neque vero in his quidem verbis quicquam inesse, quod sententiae meae repugnet, facile

1) Cf. id. V v. 45: *οὐχ ἐρψῶ τηνεῖ· τουτεῖ δρύες, ὧδε κύπειρος.* — Ahrens, de dialecto dorica, p. 267 sqq. — Vix quemquam fore puto, qui contra me offerat id. I v. 120 „*Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος*" (Hartung, Bemerkungen zu den griech. Bukolikern, erster Teil: Die strophische Responsion. Prgr. Sprottau 1885, p 15:„ — obwohl die Verbindung *ὅδε τῆνος* und der Gebrauch von *ποτίσδων* mir Bedenken erwecken"). Cf. Soph. Oed. Col. 138 „*ὅδ' ἐκεῖνος ἐγώ*", Philoktet. 261 „*ὅδ' εἰμ' ἐγώ σοι κεῖνος.*

2) XI p. 473 B.

intelligi potest. Etenim etiam hoc loco sub Sicelidae nomine Theocritum Siculorum poetarum principem latere vetustiores quidem commentatores — e gr. Dalecampium commemoro[1]) - jam recte judicaverunt, recentiores autem, ut Asclepiadem ab Hedylo illo nomine significari falso mea quidem sententia statuerent, nulla alia re nisi vilissimis illis levissimisque scholiastarum adnotationibus, quae quomodo ex corruptela quadam textus Theocritei prodierint luculentissime jam supra ostendisse mihi videor, adductos esse, cum aliud neque afferant neque afferre possint argumentum, nemo non videt. Quamquam autem vehementer certe dolendum est, quod ex ipsius epigrammatis rebus ac verbis ad nomen illud enucleandum omnino nihil colligi potest, tamen id quidem satis constare mihi videtur, versibus illis sententiam meam adeo non refutari, ut contra confirmetur ac stabiliatur. Neque enim dubitandum est, quin Asclepiadem patronymico minime usitato ab Hedylo notatum esse per se verisimile jam non sit Hedylus igitur a Pasisocle diem noctemque continuante potando etiam Siculum vatem superari cantando dicere voluit Theocritum sine dubio significans, quippe qui summus poeta ejus aetatis et esset et duceretur.

Venio nunc ad alterum locum, ubi nomen *Σικελίδης* exstat. Legitur enim in prooemio illo poeticam exhibente formam, quod Meleager anthologiae suae *Στέφανος* inscriptae affixit:

Σικελίδεώ τ' ἀνέμοις ἄνθεα φυόμενα[2]).

Meleager enim Gadarensis ille[3]), qui c. a. 60 ante Chr. n. floruit, ordine alphabetico epigrammatum composuit florilegium, quod fundamentum fuit omnium anthologiarum postea a Philippo, Diogeniano, Stratone, Agathia, Constantino Cephala collectarum. Omnium earum anthologiarum nullam nisi anthologiam Constantini Cephalae, qui epigrammata secundum argumenta in libros disposuit, adhuc superstitem esse notum est. Neque tamen omnia coronae Meleagreae vestigia evanuerunt, cum etiam nunc in anthologia Constantini haud raro epigrammata legantur alphabetico illo ordine, in quem Meleagrum ea redegisse supra jam dictum est.[4]) Qua ex re recte colligere mihi videor. Constantinum vetustiorum poetarum non denuo collegisse epigrammata, verum ex Meleagri corona vel ex anthologiis eorum, qui Meleagri vestigiis ingressi ejus coronam jam compilassent, transscripta suo inseruisse florilegio. Anthologiae suae Meleager prooemium affixit in elegiacos redactum numeros, in quo poetas, quorum carmina coronae suae implexisset, enumerans unicuique eorum proprium attribuit florem eo consilio haud dubie ductus, ut proprias eorum virtutes poeticas significaret atque distingueret. Atqui si nunc quis exquirere vellet, quae propriae poetarum indoles flore nomini cujusque eorum adjuncto attingantur, paene nihil nisi vanas argutias vel hariolationes prolaturum eum jam satis constat. Neque id mirum: primum enim

1) Schweighäuser, Athenaeus, tom. XI p. 113. Fr. Jacobs, Animadversiones in epigrammata Anthol. Gr., vol. I part post. p. 328.

2) Anthol. Gr. IV. 1 vs. 46

3) Martinus, epistt, Amstelodami 1738, lib. IV ep. 5. — Meleagri reliquiae, c. comment. perpetuo ed. I. C. Manso Jenae 1789. — Meleagri epigrammata ed. F. Graefe, Lips. 1811. — Fr. Jacobs, Anthol Gr., vol XIII: Catalogus poetarum epigr.

4) Passow, De vestigiis coronarum Meleagri et Philippi in Anthol. Const. Ceph., in Opusc. acad. p. 176 — 197. — Weigand in Novo Museo Rhenano, III p. 167 sq et 541 sq.

plerosque florum a Meleagro commemoratorum nobis plane ignotos ne homines herbarum peritissimi quidem accurate definire aut describere possunt nescii, qui flores nunc aliter nominati illis respondeant; accedit, quod quam vim ad cultum deorum vel res domesticas vel alias res spectantem in permultis illorum florum vulgus crediderit inesse omnino nescimus; ac ne illud quidem obliviscendum est, quam difficile fuerit Meleagro plus quadraginta poetis cogitatione invenire flores diversos, qui propriis cujusque virtutibus accuratissime responderent. Facile igitur est intellectu perparvum modo ac paene nihil e floribus illis, quos singulis poetis Meleager adscripsit, ad eos cognoscendos ac internoscendos colligi posse. Ac ne ordo quidem, quo enumerantur poetae in prooemio Meleagreo, plus valet ad aetatem, qua vixerint, definiendam. Neque enim poeta eos una laudat, qui eodem floruerunt tempore, sed omnes confuse et permixte, ut qui coronam nectit non similes, sed varios inter varios jungit flores. Quae cum ita sint, paene nihil aliud prooemio illi Meleagri debemus, quam quod ex eo scimus, quot et quorum poetarum epigrammata in coronam fuerint recepta.

In hoc prooemio permulti commemorantur poetae Theocriti et Asclepiadis aequales, quorum epigrammata coronam nectentem se recepisse Meleager dicit, affero e. gr. Niciam (vs. 20), Callimachum (vs. 22), Aratum (vs. 49), Theocriti autem et Asclepiadis, quorum Theocritus quidem clarissimus illius aetatis fuit poeta, nomina nusquam inveniuntur. Attamen neminem dubitare puto, quin etiam eorum epigrammata Meleager florilegio suo inseruerit[1]), cum Niciae, Arati, Callimachi multorumque inferioris ordinis poetarum carmina non praetermiserit atque etiam nunc in anthologia Constantini Cephalae, quem vetustiorum poetarum epigrammata non denuo collegisse, sed e corona Meleagrea vel alia anthologia transscripsisse jam supra dixi, duorum illorum poetarum permulta exstent epigrammata. Theocriti quidem epigrammata Constantinum Cephalam non e codice quodam carminum Theocriteorum in anthologiam suam recepisse vel inde dilucide apparet, quod lectiones epigrammatum illorum in anthologia Palatina ab iis, quas codices praebent Theocritei, valde discrepant. Accedit, quod in anthologia Constantini epigrammata nonnulla nostro poetae ascripta occurrunt, quae in codicibus Theocriti carmina continentibus non leguntur. Denique non obliviscendum est in anthologia epigrammata Theocriti omnia lemmatis instructa exstare, quae in libris Theocriteis non adduntur. Omnia autem haec suadent, ut Constantinum Theocriti epigrammata non e codice ejus poetae carmina continente in anthologiam recepisse, sed e corona Meleagri vel e florilegio, cujus auctor Meleagrum jam compilasset, transscripsisse credamus. Sed utcunque res se habet, certe id mihi concedendum esse puto, Meleagrum coronam nectentem Theocriti et Asclepiadis epigrammata non praetermisisse, verum his etiam poetis locum dedisse, ut eis, qui eodem tempore florentes familiariter illis uterentur. Haec vero sententia ipso Meleagri prooemio, in quo quamquam nomina Theocriti et Asclepiadis non occurrunt, significationes tamen inveniuntur, quibus illos poetas attingi recte credere mihi videor, haud modice fulcitur ac comprobatur: namque nominibus, quae a patria ducta sunt, pro veris positis Theocritum sub nomine *Σικελίδης* (vs. 46) et sub *Σάμιος* (vs. 14) nomine Asclepiadem Samium latere censeo. Theocritum nomine *Σικελίδης* nostro loco significari vetustiorum quoque commentatorum fuit sententia, affero e. gr. Martinum[2]),

---

1) Weigand l. l. p. 175.

2) L. l. p. 189.

qui ad versum 46 prooemii nostri hanc habet adnotationem: „Theocritum intelligo Siculorum poetarum Principem, cujus multi exstant fructus in hac Corona pancarpia." Recentiores autem interpretes hoc quoque loco sub illo nomine Asclepiadem Samium delitescere statuerunt Reiskii auctoritatem, nisi fallor, sequentes vel Mansonis, qui non aliud ejus sententiae argumentum afferunt neque afferre possunt nisi scholiorum istam adnotationem ad Theocriti id. VII vs. 40 exstantem, quam vilissimam levissimamque ac fide omnino indignam esse supra jam satis dilucide ostendi. At contra meae sententiae, qua Theocritum nomine *Σικελίδης* significari statuo, etiam flores videntur favere, qui a Meleagro Sicelidae illi attribuuntur. Quamquam enim, ut jam supra dixi, flores illi nominibus singulorum poetarum appositi apud plurimos eorum omnino nihil ad eos cognoscendos vel distinguendos valent, tamen cur Sicelidae Meleager eum apposuerit florem, quem ei attribuit, haud difficile est ad intelligendum: adscripsit poetae nostro anemonas (*ἀνέμοις ἄνθεα φυόμενα*)[1]) flores campi agrestes haud dubie eo consilio ductus, ut imprimis bucolicum eum significaret poetam. Tum certe mirum esset, si Meleager poetam, qui ne clarissimis quidem adnumerari possit, nomine a patris nomine ducto tam tecte significasset, ut fieri non posset, quin quis sub ea significatione lateret, permulti inscii essent homines. Quae cum ita sint, etiam hoc loco sub nomine *Σικελίδης* non Asclepiadem, sed Theocritum delitescere haud temere contendere mihi videor. Atque etiam Asclepiades, cujus epigrammata quin a Meleagro in coronam fuerint recepta minime dubium est, quamquam sub nomine *Σικελίδης* certe non latet, alia tamen appellatione in prooemio illo manifesto notatur. Hunc enim poetam carminis Meleagrei versu 14 plane aperte attingi mea quidem sententia omnino negari nequit:

καὶ Σαμίου δάφνης κλῶνα μελαμπέταλον.

Quam commode quidem Samius appellari potuerit Asclepiades, ei, qui Samum insulam illius patriam fuisse poetae reminiscatur, perfacile est intellectu. Quae sententia haud scio an arboris quoque genere, cujus ramis Samii epigrammata comparantur firmetur ac comprobetur: laurum nigrantem ei adscribit Meleager nescio an ea potissimum re commotus, quod Asclepiades titulos quoque funebres (*ἐπιτύμβια*) composuerit, quorum in anthologiae Palatinae libro VII etiam adhuc nonnulli exstant. Nec vero hoc loco illud praetereundum esse puto, in ipsa Constantini anthologia epigramma Samio cuidam vel Samo[2]) adscriptum legi. Sed licet vixerit poeta aliquis, cui nomen fuit Samio, quod nomen haud ita raro apud scriptores Graecos invenitur, certe is, cujus epigramma in anthol. VI, 116 exstat, non idem ille Samius est, quem Meleager in prooemio laudat. Etenim ex anthol. VI, 114 et 115 atque Ciceronis de oratore lib. III cap. 50 satis dilucide apparet, auctorem hujus epigrammatis eodem fere quo ipsum Meleagrum tempore floruisse, ut *νεογράφοις* illis *ἔρνεσιν* (vs. 55) adnumerandus esset, quorum nomina a Meleagro in prooemio non enumerantur. Tum si auctor illius epigrammatis idem ille Samius esset, cujus Meleager in prooemio mentionem facit, haud dubie mirum esset, si hujus poetae non plura in anthologia Constantini Cephalae exstarent epigrammata, quem coronam Meleagri et florilegia postea collecta compilasse constat. Nec

---

1) „Qui flos nunquam se aperit nisi vento spirante". Plin. XXI, 23.

2) Weigand l. l. p. 171.

vero quemquam negare puto, Meleagrum omnium eorum poetarum, quorum nomina prooemium exhibeat, non unum sed plura atque ea permulta coronae suae inseruisse epigrammata.

Multo minoris vel potius nullius momenti tertius locus est, qui nomen Σικελίδης exhibet. Legitur enim illud nomen etiam in idyllio Moschi nomini addicto qui ἐπιτάφιος Βίωνος inscribitur. Quo in carmine Hesiodum, Pindarum, Alcaeum, Simonidem, Archilochum, Sappho poeta Bionem absumptum deplorantes inducit, deinde Sicelidam quoque ac Lycidam et Philetam et ipsum Theocritum item eundem facit deflentes[1]):

πάντες ὅσοις καπυρὸν τελέθει στόμα βωκολιασταί
ἐκ μοισῶν σέο πότμον ἀνακλαίουσι θανόντος.
κλαίει Σικελίδας τὸ Σάμου κλέος· ἐν δὲ Κύδωσιν
ὁ πρὶν μειδιόωντι σὺν ὄμματι φαιδρὸς ἰδέσθαι
δάκρυα νῦν Λυκίδας κλαίων χέει· ἔν τε πολίταις
Τριοπίδαις ποταμῷ θρηνεῖ παρ' Ἄλεντι Φιλητᾶς.

Nec vero dubium est, quin ad rem, de qua agitur, dijudicandam hi versus, qui in multis codicibus desunt, nihil omnino valeant, quos non a Moscho vel a Pseudomoscho sed a Marco Musuro, qui lacunam carminis supplere voluisset, conscriptos esse Naekius luculentissime jam monstraverit[2]). Cujus rei testimonium firmissimum, quod refelli non potest, Zachariae Calliergi editio est, in qua post versum carminis 93 distinctis verbis haec leguntur: *Μάρκος ὁ Μουσοῦρος ἔλεγε τοιαῦτά τινα λείπειν· „πάντες ὅσοις καπυρὸν τελέθει στόμα κτλ..“* Haec vero omnia ex Theocriti potissimum carmine septimo Musurum hausisse vel primo adspectu potest cognosci.

Quibus expositis dubium jam non erit, quin iis quidem locis qui ad rem dijudicandam aliquid valeant, sub nomine Σικελίδης Theocritum Siceliotam latere credendum sit: restat, ut de loco quodam paucis agam, quem contra sententiam meam, qua Simichidae nomine non Theocritum sed alium quendam poetam significari statui, forsitan quispiam afferat. Legitur enim nomen Σιμιχίδης in carmine ipsius Theocriti nomini haud raro falso addicto, quod Σῦριγξ inscribitur[3]):

πᾶμα Πάρις θέτο Σιμιχίδας.

Atque hoc quidem loco re vera Theocritus illo nomine videtur attingi, cum Πάρις pro θεοκρίτης — quia ἔκρινε τὰς θεούς — idque pro Θεόκριτος scriptum esse vel maxime sit probabile[4]). Nec tamen difficile est demonstratu illum locum sententiae meae omnino non adversari. Primum enim versiculos illos non a Theocrito esse conscriptos sed homini cuidam plane inepto ac sterili arte et doctrina plenissimo, versificatori verius quam poetae deberi viris doctis nunc jam satis

---

1) vs. 94—99.

2) Lectt. Acad. Bonn. 1828. — Cf. Nic. Bach, Philetae Coi Hermesianactis Colophonii atque Phanoclis reliquiae Hal. Sax. 1829, p. 17.

3) Fritzsche-Hiller l. l. p. 295.

4 Ibid. p. 297: „— — Man könnte auch Paris als Bezeichnung eines schönen Hirten (Eur. Iph. Aul. 180) nehmen“. Quae suspicio si probabilis sit, versiculum illum contra me omnino non posse afferri ita in promptu manifestumque est, ut disputatione non egeat.

probatum video. Et recte mea quidem sententia ita judicatur: primum enim totum genus istius lusus poetici a genuina poesi Theocritea certe longissime abhorret, deinde, id quod maximum est, in ipso illo poematio versus nonnulli leguntur, quibus loci in genuinis Theocriti carminibus plane aperte significantur. Comparentur enim inter se vs. 3 et VII, 78 sqq., vs. 7 sq. et XI. 15, vs. 17 et I, 1 sq. Quibus rebus non illud solum conficitur, ut versiculi illi a Theocrito sint abjudicandi, verum etiam, ut post Theocriti idyllium septimum carmen illud figuratum ortum esse ejusque auctorem nomen *Σιμιχίδης* e nullo alio fonte quam ex ipso illo idyllio hausisse statuendum sit. Quae cum ita sint, hoc unum ex versu supra commemorato recte concludi potest, eo tempore, quo, *τεχνοπαίγνιον* illud conscriptum sit, cum nomen *Σιμιχίδης* non *Σικελίδης* adhibeatur ad Theocritum significandum, ordinem nominum in carmine septimo certe eundem jam fuisse ac nunc sit. Hoc vero eis, quae supra de illis nominibus disserui, omnino non repugnare nemo non videt, praesertim cum facile intelligatur nisi superiore jam aetate fieri non potuisse, ut nomina illa transmutarentur Carmen autem illud figuratum ut multo inferiori assignandum esse tempori censeam, multae et graves causae me impellunt. Sed de tempore atque auctore hujus carminis in altera „quaestionum“ particula pluribus agere mihi propositum est.

F. MERTENS.